



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt IV. Humaniores literas in Germania, pr[a]ecipuo Vvestphalorum
studio refluuisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

Humaniores litteras in Germania
præcipuo VVestphalorum studio
refloruisse.

AT verò postquam NICOLAI V. PONT. MAX.
auspicijs cultiora litterarum studia primùm in
Italia reuixerunt, cum pleræq; omnes Academiae
Germaniæ, rationibus sanè leuibus retardatæ, quas alicubi
persequitur ac refellit Æneas Siluius, ea admittere, & tra-
ctare cunctarentur, VVestphali nostri tempus hoc demõ-
strandæ suæ in bonas litteras voluntatis, minimè præter-
mittendum rati, relictas ab alijs, atq; despectas non modò
sibi recipiendas, sed etiam ornandas, atque omni ope toti
Germaniæ commendandas existimarunt. Princeps tam
illustris facti Rodolphus à Langen vir equestris in VVest-
phalia ordinis, & in maxima Ecclesia Monasteriensi Cano-
nicus fuit. Is enim cum vnà cum Mauritio Comite Spi-
lembergio Canonico Coloniensi, & Rodolpho Agricola,
in Italia Francisco Philelpho, Theodoro Gaza, alijsque
vtriusque linguę instauratoribus dedisset operam, tantoq;
haberet progressus, vt is, quem modò nominavi, Agricola
ab hoc demum viro aliquando, vt ipse loquitur, pri-
scam insolenti Italiæ, & propemodum occupa-
tam bene dicendi gloriam extorqueri posse confi-
deret; reuersus in patriam nihil habuit antiquius, quàm
vt ad quarum artium quasi mercatum quendam erat pro-
fectus, earum suis popularibus copiam faceret. Ille igitur
fuit, vt cecinit quidam,

[Lib. de
educ. Li-
beror. ad
Ladislaũ
regem ca.
26.]

[In epist.]

[Alexan-
der Hegi-
us in epi-
gram]

C

Primus

Primus Melpomenen qui rura in VVestphala duxit. In VVestphala autem? imo verò, si verum amamus, omnino post restitutas litteras, primus Germanorum eruditum carmen scribere cœpit. Scripsit & multa soluto sermone perquam disertè, & veteres illos elegantium artium auctores prope primus, quasi postliminio, iuuentuti restituit. Etenim Conradum, è Comitibus Ritbergensibus, Monasteriensem Antistitē, magni animi principem, sua auctoritate perpulit, vt in ludo litterario, qui erat in ea vrbe ad D. Pauli, repudiatis barbaris & incultis minimè idoneorum magistrorum præceptiunculis, exemplo, atq; instituto eorum scholarum, in quibus erat in Italia versatus, vetusti scriptores vtriusque linguæ explanarentur. Res varijs, vt fit, consultationibus in id tempus extracta est, quo in ea Ecclesia Scholastici munus sustinebat vir magno nataliū, & prudentiæ splendore VVennemarus Horstius, ex eaipta familia, quæ amplissimum huius nunc Ecclesiæ Decanum tulit; is ascitis in eam rem viris litteratis è Langij ferè disciplina, atque contubernio, vniuersum Gymnasium Timanno Camenero, cuius extant de Philosophia naturali commentationes, administrandum dedit. Neque verò hic VVestphalorum ardor vnus vrbs finibus coerceri potuit, sed annitente eodem in primis Langio, ludis, in celeberrimis quibusq; oppidis, apertis, omnibus vtriusque linguæ, omnisque politioris litteraturæ copijs VVestphalia redundauit. Quid quod VVestphalorum studio, ac labore in alias quoque Germaniæ oras permanarunt. Siquidem Dauentriæ versabatur Alexander Hegius homo VVestphalus, cui Langius, quondam eius condiscipulus, è bibliotheca, quam secum ornatam, & locupletem ex Italia detulerat, libros à doctissimis illis Italiæ magistris nuper editos in lucem, sanequam benignè & vltro mittebat. His

cūm

eum ille assiduò voluendis fieret quotidie eruditior, discipulos, atque æmulos studiorum suorum habuit Desiderium Erasnum Roterodamum, Ioannem Murmellium, Ludouicum Bauingum, aliosq; complures. In his Conradus quoque Goclenius Paderbornensis fuit, qui postea in nobilissima Academia Louaniensi è primis fuit eius Collegij professoribus, quòd ad illustrandas linguarum præstantissimas sapienter institutum, trilingue dicitur; plurimumq; sua ætate, dicendi laude præstitit. eum huius artis præcepta tradentem, audiit inter alios Adolphus Comes Schaumburgius, qui deinde Coloniensis Antistes renunciatus, veteris fuit religionis instaurator & vindex, plurimumque, Princeps Illustrissime, jam tum explendescentem indolem in tenera tua dilexit ætate. Tulit præterea Paderbornensis ager eadem tempestate Ludouicum Dringeburgium, qui ad excitandas easdem mansuetiores litteras, magnis propositis præmijs Selestadium in Alsatiam euocatus, Ioannem Reuchlinum, Beatum Rhenanum, Iacobum VVimphelingium, aliosq; erudiit, qui deinde insigni scientiæ fama claruerunt. In Bataviam primus eadem præclara studia, eodem hortante, & adiuuante Langio, Antonius Liber Susatensis inuexit, è cuius disciplina Alardus Amsterodamus doctissimus, ac politissimus Louaniensis Theologus, alijque clari in litteris homines prodierunt. Quo quidem tempore nihil mihi VVestphaliæ videtur ad immortalem gloriam præter te vnum, Princeps Illustrissime, defuisse. Si enim tui similis quispiam Mæcenas fuisset exortus, qui seueras illas veterum Academia-
rum doctrinas hac noua humanitatis, & eloquentiæ dulcedine temperasset, vnoq; vtraq; domicilio collocasset, ne
is facile omnibus numeris absolutam Academiae formam primus Germaniæ demonstrasset.